
ALEXANDRO FARNESIO IN-
primis Reuerendo, & Illustrissimo Do-
mino, Andreas Thurinus Piscien-
sis Medicus prosperitatem.

NON te latet amplissime domine, quod inter Medicos Pontificios de bonitate Aquarum Fontanæ, & Cisterninæ disputatio, contentioq; orta est. Nec te fugit, me ex Hippocratis, & & Galeni sententia, fontanam in hominum vsu, multis reluctantibus, præposuisse. Sed vt veritas elucscebat magis in tui gratiam mihi placuit rem ipsam scriptis mandare. Quod si nostra hęc lucubratio ad dignitatem exactæ disputationis, & artis accesserit, Deo actæ sint gratiæ cunctæ cognitionis datori. Sed si multo citerius peruenerit, quàm artis præstantia est, minus iuste quisquam nobis reprehensionem incusserit. Nam etsi quicquam ab eo, quod decens est, decidere contigerit, humana est hæc affectio, pepercerit vnusquisque diiudicare callens ponendo in ibi vnde minus recte dicta summouit. Opus enim hoc nostrum laudabilis munificētię iudicari debet, quia hominum communi vtilitati in lucem edere sum conatus. Tuæ autem in primis Reuerendæ, & Illustrissimæ dignitati dicaui, quia gratum tibi fore

iudicaui, Et non vt tuo intuitu opus defendatur, aut tua authoritas aliquem à contradicendo retrahat. Is enim ſum, qui dicta noſtra defendere non verear, cum veritas ex omni parte ſibi atteſtetur, & licitari aduerſus maledicos, & contumelioſos homines mihi facile perſuadeo. At ſi veriora, & meliora ſint, quæ contra nos quis ſcribat, noſtra tutari non licet, Sed manus, & herbam dare pollicemur, honeſtum enim certamen hoc reputabat Heſiodus.


VAERITVR inter Medicos, quæ nam aquarum Ciſternæ, an Fontanæ, ſecundum Hippocratis, & Gal. placita, optimam optimæ comparando altera alteræ præſtet in ſalubritate in potu humano; Et ꝙ pluuialis ſit præſtantior multis ex his, quæ dicentur, facile putant poſſe perſuadere.

Hippocrates enim in libro de capitis vulneribus in fine ait. Pluuiales quidem leuiſſimæ, tenuiſſimæ, limpidiſſimæ, dulciſſime, id eſt, ſuauiſſimæ ſunt. Sol enim aquæ principium, quod leuiſſimum eſt, & tenuiſſimum, in ſuperiora deducit, & præripit, quod mare, & ſal declarant. Salſum enim quod eſt, illic remanet, ſalq; fit. Tenuiſſimum autem quod eſt, ſol præleuitate præripit, quod non ſolum ex aquis marinis, paluſtribus, lacuſtribus, cæteriſq;, ſed de rebus omnibus in quibus vdum quid ineſt deducit.

Hanc etiam eorum ſententiam confirmát authoritate Galeni in libro de Bonitate aquę, dicentis. Aquas vero pluuiales ſcio leuiſſimas eſſe, & ſubtiles, & puras, & bonas, & dulces guſtui. Educit enim Sol, & rapit quod eſt ſubtiliſſimum, non dulcibus de

aquis ſolum,ſed etiam ab ipſo mari. Aliquando uero à cadaueribus,& ab aliis corporibus unde putreſcit citiſſime omnium,quando enim putreſcit qualitatum expers fit. Et qui eam biberit occupatur branchis,& tuſſibus,& grauedinibus capitis. In eis uero, quæ bonæ ſunt,ſi quid decoquitur, cito decoquitur. Et ſi aliquod calefit,cito celefit. Et ſi uino permiſcueris modicam ad digeſtionem,& vrinarum ſeceſſionem erit benigna,& hæpati, & ſpleni, & renibus, & pulmoni, ſicut enim non habentes uirtutem fortiter infrigidantem decenter propitiæ ſunt. Vernales igitur,& hyemales temporariæ ſunt,& optimę, quas ego maxime laudo. Autumnales uerò,& æſtiuales,cum in generatione differant,& in bonitatibus dici non poteſt quantum à uernalibus deficiant.

In ſuffragium etiam opinionis eorum adducunt Paulum Aeginetam, qui in primo libro, & capite quinquageſimo dixit. Hymbrium aqua, authore Hippocrate,leuiſſima eſt,dulciſſima,limpidiſſima,tenuiſſimaq;,eo ꝙ Sol leuiſſimum attrahat, & id non ex alia aqua ſolum,uerum ex mari quoq;, & corporibus; quapropter etiam omnium promptiſſime cõputreſcit,ceu ex diuerſis qualitatibus conflata. Nemo autem aquam putrefactioni oportunam deterri

mam esse existimet, nam mutationis facilitas uirtuti potius, quàm uitio tribuitur. Quæ igitur aqua opti me notas habet, si prompte etiam putrescat, ea censebitur saluberrima, etsi cum mutari incipit, occasionem raucedinis tussiculæ, & grauitatis uocis præbeat. At hymbrium aqua æstiua, quæ tonitru decidit, prestantior est, quàm quæ nimbis dimissa est.

In patrocinium etiam eorum testem citant Aetium, qui libro Tertio, & cap. clxxv. hanc protulit sententiam. Aquarum, quæ bibuntur, quinq; sunt omnino differentiæ, pluuialis, fontana, putealis, fluuialis, & e stagnis, harum pluuialis leuissima est, & facile transmutatur, atq; alijs quidem affectibus optima, cum celerrime transcoletur, & transeat: febri uero, & dispositioni, quę cholera dicitur, & arquatis inutilis, ex eo enim, quod facile uertitur, facile in bilem transit. Sed lippientibus destillationis, aut ulcerum ratione opitulatur. Abstineant ab ea, qui acute uidēt, neq; ad medicinas metallicas abluendas eligatur, plus enim habet constipationis, quàm fontana, ideo neq; abstergit facile, neq; coquit, neq; medefacit, & excretiones impedit. Quod si alicubi moram traxerit, magis adhuc constipat, tardiorisq; transitus fit egestiones detinet, tardius concoquitur, distribuiturq;

ac destillationes gignit, presertim si frigida bibatur. Nec deest, vt aiunt, Cornelii Celsi authoritas, qui in libro Secundo, & cap. xviii. dixit. Aqua leuissima pluuialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex niue, aut glacie, grauior his ex lacu, grauissima ex palude, facilis etiam, & necessaria cognitio est, naturam eius requirentibus, nam leuis pondere apparet. Et ex his, quæ pondere pares sunt, eo melior quæq; est quo celerius, & calefit, & frigefit quoq; ex ea legumina concoquuntur.

Potest & in horum suffragiuin adduci authoritas Isaach, qui in particularibus dietis cap. de Aqua videtur idem dicere, cum dixit. Sed omnibus autem aquis pluuialis est electior. &c.

His etiam addi potest authoritas Isaach quinto theorice cap. xcix. cum dixit. Aqua pluuialis cæteris aquis melior est, & saporosior, atq; leuior, & mundior, sicut Hippo. &c.

Idem testatus est Rasis. xxiii. Continentis, cap. cliiii. de Aqua, cum dixit. Et aqua pluuialis Veris, & Hyemalis melior est, & in his duabus aquis est maior pars laudis meæ.

Adduci etiam potest ratio, quam quidam Achillem putant, sic syllogizantes. Omnis aqua, quæ celeriter

hippocundria pertransierit,est optima, & nulla melior quærenda est. Sed aqua pluuialis est talis,quod celeriter pertransit hippocundria, ergo optima, & melior quærenda est nulla. Sumptum patet ex Galeno in Secundo de Sanitate tuenda. Item ex Oribasio libro ad Eunapium cap. de aquarum qualitatibus,& libro Tertio cap.de aquis eligendis ex Herodoto. Item ex Paulo Aegineta libro Secundo cap. quinquagesimo.

Ego vero hisdem Authoribus, sed sanius consideratis,multis etiam aliis in medicina generosis testibus, & tandem physicis demonstrationibus oppositam conclusionem veriorem esse facile demonstrabo., videlicet, Fontanam aquam suis conditionibus celebratam,quas tota medicorum cohors Græcorum, Arabum, & Latinorum exarauit, in potu hominis cibum attenuando,vt citius,& melius per venas corporis penetrare possit,pręstatiorem esse,& salubriorē. Hippocrates in libello de capitis vulneribus sermonem faciens de aquis,hanc habuit orationem. Sed optimæ sunt,quæ de locis altis decurrunt,quæ dulces,id est suaues; & albæ sunt,modicumq; vinum ferunt.per hyememq; calefiunt, per æstatem vero frigescunt. Tales enim sunt, quæ de profundis fonti-

bus hauriuntur, maximeq; eas probato, quae ad Solis ortum, praesertim aestiuum, prorumpunt, & currũt, quę lympidę necessario sunt boni odoris, & leues, inde sequitur, quę fontes ad ortum decurrẽtes, & scaturigines habent, prę cunctis optimę sunt. Secundo loco sunt quae inter ortum ęstiuum, & occasum decurrunt, sed ad ortum potius. Tertio loco sunt, quę inter occasum Aęstiuum, & Hybernum prorumpunt. Pessimę uero sunt quę ad haustrũ decurrunt, quęq; inter ortum ęstiuum, & occasum, sed quę ad haustrũ pessimę sunt, quę autem ad Septentrionem nitendunt, meliores sunt, quibus sicututor. Quisquis autem sanus est, & ualidus nihil discernitor; sed semper eam quę, adest potator. Haec Hippocrates. In quo loco manifeste patet Hippocratem illas uocare optimas aquas, & probatas, quae Fontanae sunt, pręsertim ad orientem tendentes, non in comparatione solum aliorum fontium, sed ad reliquas omnes aquas comparate. Cum tales in substantia earum nobilitatem habeant, cum, ut dixit Hippo. supra, dulces sint, id est, suaues, & iucundę, & albe, limpide, boni odoris, leuesq;, acquirunt etiam bonitatem ex cursu, ex sub dio, facile per hyemem calefiunt, per ęstatem frigefiunt, á sole defecantur, & earum frigiditas remittur.

tur, a qua, vt dicemus, omnia eius vitia dependent. Galenus etiam in primo de tuenda valetudine puerum instituens, Aquam fontanam potissimum probauit, cum ait. At frigidæ potione prohibendos eos esse non censeo, quod tamen aliqui faciunt, verum à cibo plerumq;, & per calores cum ipsi cordi erit, uti non displicet, potissimum Fontanę recentis (si copia eius sit) cui nulla qualitas aliunde sit contracta ea si non est reliquarum, Cauendæ vero sunt, quæ ex stagnis hauriuntur, & quæ turbidæ, & quæ male olentes, & quæ salsæ, denique in quibus qualitas aliqua gustu deprehenditur. Quandoq; optima est ea penitus non gustui modo horum, verum etiam olfactui omnis qualitatis expers videbitur, eadem quoq; tum potui iucunda erit, tum plane pura. Quod si præcordia quoq; celeriter transit, nihil est, quod magis idoneam requiras. Quando siqua pura, limpidaque est, nec potu insuauis, nihilo secius tamen circa precordia hæret, hæc vitio non caret, atq; abstinendum ab ea censeo vtiq; cum prorsus est frigida, cæterum à calefacta non detereo, Ac tutissimum quidem sit experientia ipsa de huiusmodi aqua iudicium fieri. Quod siquis est, qui ex notis potius vim eius prænosse malit, cuius fons è petra scaturiens contra se-

ptentriones fluit, Solemq; auersum habet, hanc ægre concoctam iri tardiq; transitus esse, putandum est, eadem nimirum calefiet, frigefietq; tarde. Contra cuius ad orientem Solem fons erumpit. quæq; per meatum aliquem mundum, aut puram colatur terram, eademq; calefit, ac refrigeratur ocyssime hanc omni ætati vtilissimam esse existimandum est. Non enim sicuti vino, escis, exercitatione, vigiliis, somno, ac venere, aliis alias vti pro ratione ætatis expedit, ita de aqua quoq; statuendum est. Sed quam non optimã iudicauimus, hac vti puero, iuueni, seni conducet. Hæc Galenus. Quis igitur obsecro Gal. calumniabitur, qui ex proposito saluberrimam nobis vitam instituit, tamen aquam pluuiatilem tanquã præstantissimum, vt aiunt, non admisit. Sed fontanam potissimum mandauit. Quod si pluuialis fontanam præcelleret, siue Cisternina eandem non doctor vtiq; sed proditor magis nobis fuisset, & tanto Dei dono toto nostro ætatis decursu in perniciem nostram priuasset. Et cur verum non sit professus Galenus quando Aquam fontanam præstantissimam, saluberrimamq; toto nostræ vitæ temporis spatio bibendum scripsit. Cum hæc non gustui modo; verum etiam olfactui omnis qualitatis expers iudicatur, puras &

limpidar. Et cuius fons ad orientem vergat Solem & per meatum aliquem mundum, aut puram colatur terram, quæ omnia bonitatem aquæ in sui substantia, & in origine sui cursus facile demonstrant, & quę æstate frigesit, & Hyeme calesit, cito frigesit, & calesit Celerrime præcordia, siue hippocundria permeat, quæ conditiones omnes in pluuiatili, siue Cisternina aqua nō inueniuntur, ergo aqua fontis omnium præstantissima fuit data, concessa, & in vsum humanum ab Hippocrate mandata, cum dixit. Quibus sic vtito & quisquis sanus est, validus nihil discernat, & ea, quæ adest, semper potetur, non itidem de pluuiali, aut cisternina, quem postea Gal. secutus est. Quis etiam negabit salubritatem aquæ fontanæ, & super alias aquas excellentiam, quando sola nullum in se vitium habet, cum, Galeno teste. Septimo Methodi, vitia omnia ipsius aquæ ex eius frigiditate pendent, cuius culpa, & in pręcordiis diu moratur, & fluctationes excitat, & in flatum mutatur, & corrumpitur, & ventriculi resoluit robur, sic vt deterius inde concoquat. Sed nec digerendo per corpus alimento aliquid magnopere conducit, Cui sententiæ si ea addideris, quę in Decimo Metho. dixit, videlicet, Esto autem tunc pręparata in labro aqua frigida, ea frigi

ditate, vt nullam euidentem qualitatem nec prorsus frigidarum, nec tepidarum aquarum præferat. Sed qualem ea, quæ fontana uocatur, quæ & frigoris, quod ferit, & teporis, qui resoluit, est in medio, quod etiam in secundo de simplicium medicamentorum facultatibus dixit. Porrò si nec insigniter calida, nec frigida admoueatur, sed uelut, quæ fontana dicitur. &c. Concludi itaq; ex his omnibus potest, aquã fontanam nullum in se uitium habere, cum ea sit in medio frigoris, quod ferit, & teporis, qui resoluit, & omnia aquæ uitia ex frigiditate pendent. Itaque omnibus aliis aquis sola ea existente in medio merito anteponitur.

Sexto etiam Epidimiorum, particula quarta, aphorismo octauo, Gal. in cõmento laudat aquarum elixationem, ut in meliorem formam, & naturam mutentur, quam & ipse asserebat se facere quando infirmis aquam exhibiturus erat, nisi fontis aquæ bonæ scatentis facultas esset, quo loco nobis insinuat fontanæ aquę super omnes alias excellentiam, & bonitatem, cum aqua fontana minime elixatione indigeat. Author etiam quicunque fuerit libelli illius, cui titulus est De Rerum affectus dignotione, & medicatione doctissimum se ostendit, cum & in inditiis asse

ctionis renum,& in cura imitetur Hippocratem in sexto Epidimiorum, particula prima, sententiola quinta, cum ipse dixit. In renem dolor grauis quãdo cibo repleantur, pituitam uomunt. Cum uero dolores superabundauerint, eruginosa, atq; tum quidẽ leuiores fiunt dolores cessant. &c. Quod si curationem inspicias, nõ nisi ipsum Hippocratem inuenies. In eo autem libro sermonem de aquis talem inuenies. Non uidetur ab re de aqua paucis hic sermonem facere, Aqua tã sanis, quàm ægrotantibus commune solatium est, & maximopere necessaria, quod mundanorũ & singularium elementorum, hoc unũ sit, ex quibus uniuersi nostri corporis constitutio est conflata. Quam ob rem de ea fuero non ociose dicturus. Aqua purissima tribus sensibus iudicatur, gustu, uisu, olfactu. Gustu, si nullam planã qualitatẽ præ se ferat, sed uideatur ab omni qualitate immunis. Visu si pura sit, sincera, & exquisitè clara. Olfactu si eorum nihil est, quæ in aquis uitiosis esse olfactus testatur, ut sunt aciditas, putredo, acumen, salsedo, aliquod ue uitium, quod nomine careat, quæ omnia Galenus primo de Simplici medicina ad uerbum habet. Inde sequitur. Qua tu autem commode quouis tempore, & modo uti possis, aqua sit purissima, de-

Galenus etiam in quarto de Tuenda valetudine docet componere apomeli, dicens, Apomeli optimum aqua conficitur, bibiturq; tota æstate refrigerantis vice, potest vero cui id libet, & ad quam proposuimus intentionem eo commode vti possimum vbi coacuit id, quod ei sæpius contingit. Alias magis, alias minus, vtpote ex aqua confecto non pluuia sicuti mulsa, sed qualibet, Quanquam potest, qui volet, ex pluuia aqua, id conficere, ipseque si pluuiam aquam probare id suaderem. Verum nec ipsam probo, & nihilo est deterius si acescat potissimum ad ea, quæ proposuimus. Hic Galenus aquam pluuiæ non probat, nõ ea ratione, quod in compositionem apomeli recte non veniat, vt quidam prudenter considerauit. Nam medicamentum hoc refrigerantis vice tota æstate bibitur, non vt abstersiuum, sed vt refrigeratiuum, vt in textu dixit Galenus, qua etiam intentione aqua pluuia ingredi medicamentum, potest similiter ad ea quæ proposita sunt, nihilo est deterius si acescat, conuenit. Non est igitur, quod aquam pluuiæ non probet propter medicamentum, cum nihilo sit deterius si apponatur, sed absolute videt̃, quod aquã pluuiæ nõ ꝓbet, nec ab apomeli amouet̃ abstersiua virtus, licet cũ aqua pluuię cõponatur, abstersio. n. a melle dat̃

Adduci etiam potest in fauorem nostræ opinionis testimonium Auerroris, qui in quinto sui colliget, & cap. xxxviii. dixit. Optima aquarum secundum Hippocratem, est aqua fontium orientalium, quæ scaturit ex terra, quę non habet nimis crassam substantiã, nec mimis mollem, vel luteam, sed si mediocris inter has, & propterea hæc aqua est suauior, & citius permutatur à calido, & frigido. Et subintulit opinionem Rasis, quòd aqua fluminum magnorum sit melior, tamen constanter approbat opinionem Hippocratis de fontana, quòd aquam fluminum præcellit.

Iterum idem testificatus est ipse Auerrois super cantica Auicennæ in Commento, cxxxii. dicens. Quod autem dicitur hic scilicet, quòd aquæ fluuiales sint meliores fontanis, est quidem secundum opinionem Medicorũ in chaquin, fontanę tamẽ secundũ opinionem Hippo. & Gale. sunt meliores, & ex eis maxime orientales, & super harenam incedentes.

Quod si (vt ad hominem argumentemur) libellum illum Galeno ascriptum de bonitate aquæ diligenter inspexeris, manifestũ erit fontanas aquas omnes Aalias excellere. ixit enim, & omnes aquæ quarumcunque fontes versus Orientem fluunt, humiditate, & subtilitate, & bono odore, id est, non malo, & vt sint

moderate frigidæ,& calidæ excellunt alias. Visus est igitur Author illius libelli laudare fontes præ cæteris aquis in subtilitate,& temperamento qualitatum, quod,scilicet sit in medio frigoris,quod ferit,& teporis,qui resoluit,& sic nullum vitium in se continere, & idcirco eas esse optimas. Et licet videatur Author ille maxime laudare aquas pluuiales inferius patebit, non solum,quod ea non est Gal.sententia, sed quod Hippo.& Galenus illi in faciem reluctantur.

Paulus etiam Aegineta opinioni nostrę suffragatur. Nam cum vellet notis,& inditiis manifestare nobis optimam aquam,posuit signa manifesta aquæ fontanæ,& hæc ad verbũ sumpsit à Gal.supra,& ab Oribasio,à quo asserit se mutuo accepisse omnia,quę ipse Paulus in primo libro scripsit. Et dixit Paulus,qui verò notis quoq; eam volet cognoscere,his, quæ dicentur,attendat. Quæ enim ad Septentrionem spectat,Sole auersa,tarde permeat, & indomita, lente calescit,& refrigeratur. Quæ autem ad Orientem per venas quasdam terræ,vel(ut alii emendant) per terram colata puram prorumpens citissime calefit,& refrigeratur ocyssime potinus hanc optimam esse sperandum est,hæ.n.notæ non nisi fontanę aquæ sunt, quas diximus,Paulum à Gal.& Oribasio accepisse.

Aetius etiam hanc nostram opinionem confirmat eodem libro Tertio,cap.clxxv. quando de fontana sermonem facit, dicens, Fontanæ aquæ quæcunq; auersæ à Sole,& ex saxis erumpentes ad Septentrionem deriuant,asperę tardiq; transitus sunt, seroq; & calefiunt,& frigefiunt. Quę verò ad Orientem fluũt, & per meatum aliquem, puramue terram excolãtur, & celerrime calefiunt,frigefiuntq;,tales optimæ sunt, nisi forte ab aquæductus natura aliquod vitium asciscant.

Conueniunt itaq; omnes,qui contra nostram opinionem adducti sunt,Hippo.Gal.,Paulus,& Aetius, Fontanas aquas ad Orientem Solem prorumpentes per puram terram excolatas,visu limpidissimas esse, gustu dulcissimas,id est suauissimas,& iucũdissimas olfactui omnis qualitatis vitiosæ expertes cito calescere,& frigescere,in hippocundriis non morari, sed leuissimas esse, quas nobilitates aqua pluuialis non habet,& ideo nec à Sole purificationem,& frigiditatię temperamentum habet, nec à ventis excolationem,quare aqua pluuialis cisternina à fontana in bonitate maxime distat. Cuius optimum exemplum, ac testimonium est, Fons Solis,qui in diuersorio vestro Graduris, siue Graduli est, aquarum omnium

perfectissima, & excellentissima, tanquàm Policreti statua, aquis cisterninis, siue pluuialibus, etiã si extherre excreta esset, nimine comparanda. Sed quia Farnesiorum domui hoc notissimum est, alia apud te probatione non indiget.

Cæterum, vt illiteratorum, & maledicentium latratus effugiam, orationem de pluuiarum; & fontium causis, deq; modo generationis earũ scribere proposui. Itemq; si nullam rationem afferrem, licet Hippocratem, & Galenum tanquàm medicinæ principes veneremur, eis tamen vt testibus, aut tanquàm tyrãnis minime credendum esse dicerent, nec dictís eorum tanquàm legibus minime subscribendum esse affirmarem. Idcirco digredientes ad libros metheorologicorum ascendentes naturalem rationem, qua facile probetur aquam fontanam omnes alias excellere, conabimur clarissime in medium adducere.

Aristoteles in primo Methereon de causis pluuiæ verba facturus nobis hanc scriptis dereliquit sententiam. Cum enim telus radiis Solis perculsa caluerit aspiratio agatur, necesse est, non illa quidem simplex id est, vna, vt nonnulli arbitrantur, sed duplex altera euaporatior, altera flatuosior. Ita, vt euacoporatio partim ad humorem in terra, & supra terram referatur

partim fumida sit, propterea quod terra siccitate cō-
stat, atq; de his flatuosior exilit ob calorem, humi-
dior subsidet propter grauitatem. Præcipuū igitur,
summumq; initium, ut mouens orbis signifer est, in
quo quidem cum ipsius Solis cursus aperte secer-
nat, & cogat pro ratione maioris, uel propinquita-
tis uel longinquitatis, causa est, partim ortus, partim
interitus. Cum autem terra quiescat, & consistat, hu
mor certe ei circunfusus à Solis irradiationibus, & su
periori alio calore, uidelicet, Stellarum per uapores
expressus sursum effertur. Cumq; calor humorem,
quem euehebat, reliquerit, & partim superiore loco
sparsus, partim extinctus sit, quod remotius in supe-
riorem terræ aerem sublimis feratur, uapor refrigera
tione affectus, tum propter caloris defectum, tum
etiam propter locum iterum cogitur, atque ex ae. e
aqua dicitur, quæ sana ita orta rursus in terram de-
fluit, Hæc Aristoteles.

Ex hac Aristotelis serie patet manifeste duas esse a-
spirationes, quæ à toto hoc, quod terram, aquasq;
continet, eleuantur, una quidem uaporosa, quæ ab
humorosa parte, altera fumosa, flatuosa, spirituosaq;
quæ à sociori subtollitur. Sole autem calefaciente, ra
refaciente, leuiganteq; ambæ sursum feruntur, uapo-

rosa quidem ad mediam usq; aeris regionem, fumosa uero ad tertiam, Cumq; uapor ab ea caliditate, quę à terra sursum reflectitur, reliquitur, quia hæc ad mediam non pertingit. Similiter & fumosa, quia ad tertiam aeris regionem transuolauit, iis inquam uapor priuatus, & loci frigiditate affectus cogitur, atque ex eo aqua oritur, quę sanè ita orta rursus in terram defluit. talis est pluuiæ secundum Aristotelem causa, & generationis modus.

Sed posset quis ambigere quomodo Sol terram calefaciat, ipsam non contingens, eoq; maxime cum Lunæ Sphera inalterabilis, & impassibilis media sit inter solarem Spheram, & terram, quæ pati habet. Nisi esset, q sæpe plurima ex corporibus, quæ impatibilia sunt, cum nihil patiantur, nihil tamen prohibet quin per ipsa aliquid aliud pati possit. Nam Piscatores (ut asserunt) habentes in Retibus Piscem, qui Torpedo uocatur, manus ipsorum, quæ per funiculos trahunt, obstupescunt, nil patientibus retibus, aut funiculis. Itaq; si huiusmodi corpora passiones illas aliis corporibus, quæ sunt post ipsa quasi ministrât, absque hoc, quod aliqd tale patianť. Quid mirum si, & Sphera ipsius Lunæ, nil patiens ex motu Solis, distribuit tamē corpori, quod sub ipsa situ

est passionem illam, quam illud natum est, suscipere. Impassibile tamen, & inalterabile dicimus diuinum illud corpus non simpliciter, & absolute, sed secundum passiones illas, quæ fiunt per transmutationē secundum formam, ab hac enim transmutatione longe absunt diuina corpora, sed non propter hoc ab omni passione immunia sunt. Motus enim aliqua quidem passio est, ab ipso autem non liberantur: quin etiam si recipere alienum lumen pati aliquid est patietur & aliquo modo ipsa Luna, cum a Sole recipiat lumen. Nullum itaq; absurdum est, si propter motum Solis aliqua passio imprimatur, vt in partem ipsam diuini corporis, quæ sub Sole sit, quamuis pars illa non calefiat, sed potius caliditatem illam ministrans propinquius sibi corpus calefaciat, hæc tamen caliditas à Sole in vmbrosis, & opacis locis non fit, cum aer unus ab alio calefiat per continuitatem, & contactum. Corpora autem quæ obumbrant, impedimento sunt ne liber fiat iste contactus, atq; continuitas, idcirco id, quod vmbratur, non similiter, neq; æqualiter tangitur, nec similiter fit calidus.

Disceptant, & altercantur etiam inter se sapientes, an vapor à re aquea eleuatus sit aqua, vel ex corruptione aquæ vapor specie diuersus sit, & qui partem affirmatiuam

matiuam tuentur,seriē peripateticā adducūt. Quod cum vapor humidus ad mediam aeris regionem peruenerit,derelictus tum à caliditate, quæ ob Solis lumen reflectitur (ad mediam enim regionem non pertingit)tum ab exhalatione calida,& sicca,quę ad tertiam vsq; regionem transuoluat, vapor inquam hic refrigeratione afficitur, tum propter caloris defectum , qui eam vehebat,tum propter locum,iterū cogitur,atque ex eo fit aqua, quæ rursus in terram defluit.Sicq; vult opinio hæc,quod remotis his,quę impediebant, vapor ille aqua remanet, & qui hanc opinionem afferunt,multis obseruationibus cōprobant.Cum enim aqua feruet,operculum rore afficitur,qui est aqua euaporata . Similiter in argento viuo,quod cum in olla efferuet, cooperculum afficit, remotoq; calefaciente remanet argentum viuum. Sic & vapor aqueus cum in media aeris regione fuerit derelictus ab vtraque caliditate ex se ad sui naturam à frigiditate loci reducitur coactus. Hæc tamen opinio multa patitur vulnera, nam vapor hic calidus est,aqua autem frigida,sursum etiam mouetur, aqua vero deorsum, fumus etiam non est lignum à quo subtollitur, sicut nec aqua rosata est rosa à qua per sublimationem emanat. Nec vapor roscidus est

caro,licet à carne euaporet,nisi esset,quod vapor a Sole sublatus factus est accidentaliter calidus,sui tamen natura frigidus est,cuius accidentalis caliditatis ratione,& earum, quæ ipsum euehunt, sursum fertur. Et si fumus nō est lignum, neq; aqua rosata est rosa, neq; carnis vapor est caro. Hæc tamen omnia referendo singula singulis sunt aliquid, quod vdum est in porositatibus ligni,rosæ, aut carnis, quod per rarefactionem in aliam Accidentalem dispositionem trāsit. Non desunt tamen ex sapientibus,qui huic oppositam conuenti sint opinionem,nostra tamen non interest harum alicui reluctari,aut tantam litem componere,cum nobis sat fuerit si dent uaporem illum, siue aqua sit,siue quid specie ab aqua diuersum ab omnibus corporibus in quibus aliquod udum est, ut flum nibus,Stagnis, Paludibus, Mari, & corporibus omnibus fuisse euaporatum,& ex diuersis qualitatibus conflatum inter eos certamen,& aliis ueritatis examen relinquentes, nec quis miretur,q; in media aeris regione non supreme frigida,frigidum in summo exoriatur, Cum remotis impedimentis(ut supra dictum est)vapor ille ex se ad naturale deducitur. Quod etiam per antiparistasim in æstate a circundante maxima caliditate aer cogitur,& ex eo plu

uia generatur,quæ inde in terram defluit. Et licet su
pra sit dictum exhalationem calidam, & siccam ad
tertiam vsq; aeris regionem transuolare, non tamen
absurdum est talem exhalationē,cum in media fue
rit aeris regione propter frigus eius regionis ipsam
circundans in ignem naturam conuertatur, & fiant
sydera cadentia,& huius generis talia, sicut quando
in eadem media stat,nusquam fertur,& cum aliquan
do à lumine stellarum coloretur,fiat vorago, & hia-
tus,& id genus talia,uel etiā quādo in media regio-
ne intra nubes stās fiunt tonitrua,corruscationes, &
fulmina. Aliquando uero sua crassitudine clauditur
intra uiscera terræ,& fiunt terræmotus, sed ex sui na
tura ad tertiam ascendit regionem, & fiunt cometæ,
aut capræ in eius parte infima,sed hæc omnia pręter
intentionem sunt,cū Physicam non doceamus. Ve-
rum hęc nobis satis sint de pluuiarū causis,& modo
generationis earum attigisse. Nunc vero de causis, &
modo generationis Fontium, & Fluminum sermo-
nem faciemus,breui omnia explicantes, quæ nostro
deseruiunt proposito, ab Aristotele initium sumen
tes,cū dixit eodē primo Metheoron hanc sententiā.
Perspicium est complura eiusmodi receptacula in
multis terræ locis haberi. Enimuero absurdū nimis

tioneq;,tum per ſtagnum ſub Caucaſo monte, tum ex Fluuio L guſticæ,qui partim abſortus alibi egre ditur. poteſt & id probari per terræmotus, & ſic non ſolum eſſe huiuſmodi receptacula antiqua, ſed de nouo poſſe per terræmotus magna,& parua fieri,ſed potius horum cauſas inueſtigemus.

Receptaculorum,meatuum,& voraginum,duę aſſignantur cauſę,exteriorem,videlicet, Solis, & Stellarum caliditatem continue porificantem ſuperficiem terrę uerſus centrum eius,trahentemq; de profundo terræ vapores, & exhalationes. Altera vero cauſa interior eſt, videlicet,vaporum motus ab actione Solis, qui cum trahitur,partes terræ diſcontinuat, & alias ſubtiliat,& in ſui ſubſtantiam conuertit, & ſic continuo fiunt in terra noui meatus,& ventres,ſicq; montes editi,& excelſi poros habent,& minutula foramina,ſub quorum montium partibus,& ad radices eorum fontes maxime apparent, & ſcaturiunt. Quod ſi cauſas tantum intrinſecas inſpicias, generationis fontium,extrinſecis excluſis, maiores fontes æſtate, quàm hyeme exuberabunt,cum tunc maior ſit terrę frigiditas per antiſpariſtaſim, & maior aquearum partium in vapores reſolutio, quare maior gignendæ aquæ commoditas. Cæterum in hyeme maiores

ſunt fontes ob cauſas extrinſecas,& aduentitias, vt pote incrementum ex aquis pluuialibus,& niualibus non tamen putandum eſt fontes ex aqua pluuiali generari,ſiquidem non opportet aliquid ex omni eo generari, quod ipſum reddit maius. Duorum enim pedalium ignis vnum alteri adueniens reddit ipſum maius,tamen vnum non eſt ex altero genitũ, cũ ſint ambo eiuſdem rationis,& naturæ. Et cũ ſint æedem cauſæ,etiã idem eſt generationis modus.Nã (vt ſupra dictũ eſt) perſpicuum eſt cõplura huiuſmodi receptacula in multis terræ locis haberi, ſic & montes editi,& excelſi poros habent & minutula foramina,quę ſubit aer ad implendũ uacuum.Cum.n. aer prius in montibus contentus in aquã minus loci occupantẽ,conuerſus fuerit,niſi continue nouus aduentare,aer fieret inter montiũ latera uacuũ.Quare, nõ credendũ eſt aerem ſubeuntem penetrare montiũ dimenſionem. At quemadmodũ media regio aeris frigiditate ſua uapores in nubem denſat, ſoluitq; in pluuiã.Ita terra quatenus frigida(eius .n. ſiccitas ad fontium generationem non conducit(condenſat aerem montium lateribus interceptum materiæ q; eius eam inducit denſitatem,ſub qua,forma aeris non eſt nata conſiſtere.Proinde illa deperditur,acquiriturq;

forma aquæ, quæ guttatim deorsum stillat. Congre gantur que simul quod ad tanta fit ex stillis collecta aquarum multitudo, vt sufficiat erumpere, & Scaturi re. Demũ aqua suapte natura sursum erumpit, quia supra terram esse nata est, non secus ac pluuia vbi pri mum genita est, delabitur. & quemadmodum pluuia generatur sursum, vt loco violento in quo neque ma nere, neque conseruari nata est. Ita & fontes, atque fluuii intra terram violenter generantur, factique erumpunt. Neque natura abhorret uiolentam rerum generatio nem ubi ea conducit conseruationi corporum natu ralium quemadmodum flumina, & fontes condu cũt animalium saluti, quibus potum ministrant. (ad id enim aqua pluuialis non sufficit (præterea merciũ aduectioni, & hominum negotiationibus, eademque ratione nemo miretur si aqua pluuiæ, siue aer ad ima terræ descendunt, natura uniuersali (cui omnia pa reant) intendente, elementorum generationem in imis terræ ad quæ omnia elementa non ex se, & sui natu ra particulari, sed ut sunt instrumenta naturæ uniuer salis, & ne detur uacuum citissime transuolant.

His autem ita constitutis cuilibet sanæ mentis ho mini manifestum esse potest proximam materiam, & humorem ex quo immediate oritur aqua fontiũ esse

aerem,qui per minutiſſima foramina terræ deſcen/dit,uel uaporem ſub terra à Sole calefaciente, rarefa/ciente,leuiganteq; eleuatum,quæ duo antequàm ex eis oriatur aqua,ſunt,per generationem, & tranſco/lationem,pura,ímixta,& omnis malæ qualitatis ex/perientia,quod ſi contingat aquam pluuię huiuſmo di fontium aquis premiſceri non niſi tranſcolata, p minutula illa foramina purificata,& immixta hoc contingit, ut perpetuo dici poſſit aquam fontium ex materia puriſſima generari: Sed aquam pluuiæ,ut inquit Paulus, ex diuerſis qualitatibus conflatam eſſe,nemo eſt qui ambigat,Hippocrate etiam hoc te/ſtante, quod Sol in generando eam non ſolum ex maritimis aquis,paluſtribus,lacuſtribus,ceteriſq;,ſed de rebus omnibus,in quibus udum quid ineſt, ſub tiliſſimum,leuiſſimumque ad ſuperiora deducit. Id/circo fontana aqua habens materiam proximam ſuę generationis puriorem,pluuialem antecellit: Et non ſolum hoc, ſed omnium conſenſu, currentes aquæ non currentibus ſunt preſtantiores, motu purifican te,& ipſam aquam leuiorem facientes. Stantes autem quotidie a terræ uaporibus, & fumoſitatibus infi/ciuntur, ut animalia generent homini tedium in/ferentia. Omnium etiam hominum aſſenſu, quæ

Soli

Soli exposita est,laudabilior habetur,quàm quæ Solem auersum habet,asserente Galeno, ꝙ quæ Solem auersum habent,ægre concoquuntur, & tardi sunt transitus. Sol enim frigiditatem aquæ temperat, vt vitiosa non sit,sed in medio frigoris, quod ferit, & teporis qui resoluit. Fontana etiam aqua semper est recens,& noua,vt non liceat bis in eandem aquam digitum imponere, semper pura. Pluuiatilis autem in Cisterna semper senior,semper impurior,terra cō-tinue effumante in eam vapores, & exhalationes. Sed,ut hoc manifestius appareat, dicamus, ꝙ aqua Fontis sanis conueniat, authores habet Hippo. & Galenum. Similiter in ægris,vt Galenus refert sexto Epidimiorum quando aquam ægris bibendam dabat,preter fontanam,omnes alias elixabat,fontanam autem nō. Innuens pręstantiā huius ad alias aquas. Quod autem pluuialis sanis conueniat, nec Hippocratem,nec Galenum habuit authpres hoc asserentes vt infra demonstrabimus. Et cum hoc medicinæ parentes nō habuit authores, quàm plurimos generosos Medicos habet contradicentes, & vituperantes. Cum igitᷓ fontana ex omnium consensu dari sanis & ægris possit,ea tutissime quisque vti potest,non itidem de pluuiali aqua,quæ & fautores non habet, &

vituperantibus eam ad potum humanum nō careat. Princeps Abolai doctissimus Philosophus,& Medicus huic opinioni subscripsit, quando primo Canone dixit. Aquæ vero, quę sunt aliis meliores, sunt aquę fontium, nō excepta pluuiali, vt quidā asserūt, vt infra de aqua pluuiali secundū ipsum dicetur. Huic etiam opinioni videtur suffragari Parisiensiū schola, quando Ioannes Guinterius Antoniacenus in Galenica doctrina benemeritus libellum scribens de victus ratione, Aquam fontanam ad Orientem versus &c. posuit pręstantiorem.

Potest autem à me quis iuste petere, cum Fons ad Orientem prorumpens non omnibus præsto sit, & aquæ potio omnibus sit tam necessaria, qua nobis (si Fons non adest) vti erit vtile. Huic petitioni facile Hippocrates,& Galenus satisfaciunt.

Hippocrates loco supra citato, cū de fontanis aquis sermonem fecisset, subintulit. Quibus sic utitor,, Quisquis autē sanus est,& validus nihil discernitor, sed semper quæ adest potator.

Galenus uero fusius scribens in primo de tuenda valetudie dixit. At frigidæ potione omnino prohibendos esse non censeo, quod tamen aliqui faciunt. Verum à cibo, ac plerunq;,& per calores, cum ipsis cor

di erit,uti non displicet.Potissimum uero (si copia eius est) Fontana recenti,ea si non est reliquis, non tamen omnibus. Sed cauendæ sunt,quę ex stagnis hauriuntur,& quæ turbidæ,& quæ malæ olentes, & quæ salsę,deniq; in quibus qualitas aliqua gustu deprehenditur,& olfactui omnis qualitatis expers videbitur. Eadem quoq; tum potui iucunda erit, tum plane pura,quæ etiam præcordia celeriter transeat. Ita,ut fluctuationes non excitet, nec mutetur in flatus,& corrumpatur,& uentriculi resoluat robur, sic, vt deterius inde concoquat,nec degerendo per corpus alimento magnopere conducat. Quod si qua ra pura sit,limpida,nec potui insuauis,nihilo secius circa præcordia hæret, cum hæc semiuitiola sit bibenda non est frigida. Verum calefactam non renuit Galenus,id est,(ut puto)decoctam,& elixatam, licet inde infrigidatam. Et alibi docet elixationem aquæ pluribus de causis fieri,aquam enim elixamus quandoq;,cum alicui aquam actu multum frigidam dare volumus,ut quandoq; infirmis contingit,& ne nimis noceat eis,aquam decoquimus,quam impense frigidam efficere conamur,ac postquàm decocta est, aeri frigido exponimus. Sic tamen, ut uas in quo aqua continetur, ut dixit Hippo. apertum maneat,

& minime plenum sit, vt aerem suscipere valeat. Decoctam autem oportet esse aquam. quia omnia, quae per ignem decocta sunt, crudis minus nocere possunt. In Alexandria, & Aegypto, vt refert Galenus, aquam in testaceis quibusdam vasis reponebant, calefactam prius, deinde sublime totum hoc vas in fenestris vento aduersis, vt ibi per totam noctem refrigesceret, suspendebāt, postea ante Solis ortū vas humi depositum, frigida aqua circunfundentes, frigida etiam folia toti circundabant, vt eam quam sub nocturno aere acquisiuerat, diutius permaneret frigiditas. Aliquando vero impositis in aqua carnibus & oleribus elixamus, vt si haec cito coquantur, eam optimam iudicemus. Elixatur etiam aqua, nam praecalefacta cum refrixit, euidenter putorem, quem ex putredine plerumq; contraxerit, habiicit. Omnisq; pars terrea facile subsidet, quae cum tota aqua prius quam incaluisset, minutatim permixta, vnaq; cum ipsa epota non contemnendam eādem infert, & maxime, quibus renes, aut vesica pro gignendis calculis obnoxii sunt. Nam quaecunq; ex diuersae naturae materiis constant per minutas particulas mixtione constata, haec post calefactionem refrigescentia facile dissoluuntur, sed statim ab elixatione antequàm

refrigerentur adhuc motione agitatur, atq; adeo omnes eius particulæ permixtæ sunt, sed ea refrigerata, graues, & terreæ fundum petunt, leues super fluitant. Si cui igitur fons præ manibus non est eius naturæ, quam descripsit Galenus. Reliquis aquis vtatur, quod si eius putredo, aut cruditas timentur, elixatione in meliorem naturam reducetur, & sic hominis necessitati, & salubritati optime consultū erit. Verum ad præstantissimos Medicos, qui post Hippocratem, & Galenum fuere, sermonem meum cōuerto, cum eorum dicta mihi difficultatem ingerunt. Paulus Aegineta, & author libelli de bonitate aquæ contra nos publice adductus, asserunt, ꝙ ex eo, quod Sol ex omnibus aquis marinis, palustribus, lacustribus, stagnis, & omnibus corporibus in quibus vdū quid inest attrahit, quod subtilissimum est, &c. aqua pluuialis sit omnium facile putrescibilis, ceu ex diuersis qualitatib. conflata, quod tñ Hipp. subricuit. His duobus, & huic sententiæ videtur Princeps sapientissime reluctari, & vt clarissime pateat de aqua pluuiali Principis sententia, volui, ut Iacobus Mantinus uir apprime doctus, & in interprerando Principem fidelis, quæ de aqua pluuiali à Principe sunt dicta nouissime latinitati donaret, quæ talia sunt.

Inter aquas laudabiles,pluuiales quidem connumerantur,& presertim,quæ æstate eueniunt, & ex nubibus tonitruosis ortum habent. at quæ ex nubibus procelosis ueniunt,quæ ex turbido vapore oriuntur,ob turbulentiam quidem ipsarum nubium ex quibus destillantur,habent omnino substantiam mixtam,non exquisitam. Verum putredo facile aduenit ipsis aquis pluuialibus,etiam si essent cęteris aliis laudabiliores, propterea quod maximam obtinent tenuitatem,& efficit in eis cito impressionem ipsa corruptiua portio terrea, & aera, & ipsarum corruptio erit causa corruptionis humorum, officiuntque pectori,& uoci. Quidam autem(ut scilicet Paulus,& author de bonitate aquæ,non Hippocrates)dicunt, ꝙ huius rei causa est, quoniam à uapore ascendente ex humiditatibus diuersis ortum habent, quod si hæc esset causa,tunc aquæ pluuiales illaudabiles, non laudabiles essent,cum tamen res non ita se habeat,sed huius rei causa est,maxima tenuitas substãtiæ earum. Nam substantia cuiuslibet rei tenuis recipit impressionem, quod si quis statim ebullierit aquas pluuiales, minus recipiunt putrefactionem. Hæc Princeps.In quo loco manifeste Princeps damnat opinionem Pauli, & authoris libri de bonitate

aquæ,uidelicet,quod ex quo est ex diuersis qualitati bus conflata sit omnium facile putrescibilis,sed causa est,quia tenuissima,elaborata ab igne in nubibus incluso,à tonitruo,& Solis caliditate.

Ad secundam hanc contradictionem Iacobus de Spars dixit,ꝙ aqua pluuialis , vt in pluribus est apta putrefactioni propter subtilitatem eius,quod secũdum Principem perpetuum est. Nihil tamen , inquit Iacobus,prohibet,vt quandoq; fiat apta putredini,ex eo,quod materia eius in parte separabatur à rebus corruptis,ut in magnis pestilentiis,in quo tempore non est tutum bibere aquas pluuiales,sed communibus temporibus , & annis non pestiferis parũ est quod eleuatur à cadaueribus, & rebus corruptis , comparatione eius quod eleuatur à mari , fluminibus,& terris.

Et hanc sententiam sequutus est Cœlius Rhodiginus in vigesimo septimo lectionum antiquarum cum dixit,Statuendum tamen sic opinantur, qui cupiunt disceptantes sententias conciliare. Nihil prohibere quin quandoque computrescat aqua pluuia, quia à tabidis corporibus aquarum secernatur materia,quod euenit fere crassante pestilente vi.

Sed siue hęc putrefactio,ut ĩ plurib.fit, ex subtilitate

ſubſtantiæ aquæ,ſiue ſit, ut in paucioribus,quia ex diuerſis qualitatibus conflata. Dubitant ſuper dicto Principis quomodo ſit melior aliis.

Niſi eſſet,ꝙ Principis ſermo non eſt, ꝙ aqua pluuialis ſit melior aliis aquis. Sed cum dixiſſet,Ex aquis quoq; laudabilibus ſunt aquæ pluuiæ, & præcipue illę,quæ in æſtate eueniunt, & ex nubibus cum quibus accidunt tonitrua. &c. Cum vero infra dixit. Sed tamen aquæ pluuiali cito aduenit putredo, licet ſit aqua melior,ſenſus eſt, ꝙ licet ſummatur melior aqua inter pluuiales,ut uerbi gratia illa, quæ æſtate venit, & cum tonitru, tamen illi etiam cito aduenit putredo propter ſubtilitatem. Et ideo Mantinus noſter accuratius tranſtulit, dicens. Verum putredo facile aduenit ipſis aquis pluuialibus, etiam ſi eſſent cæteris aliis laudabiliores, & reddit cauſam quare aquæ pluuiales,etiam laudabiliores, cito recipiunt putrefactionem,dicens, propterea quod maximam habent ſubtilitatem.

Sed ſi quis voluerit Principem velle aquas pluuiales quaſcunq; omnes alias aquas excellere, licet eis cito aduenīat putredo,adhuc dubitant ſapientes quomodo melior eſt aliis aquis ſi cito putrefit.

Reſpondet huic Thadeus Florentinus in Quinta

particula

particula aphorismorum in Cõm. Aphorismi vigesimiseptimi, ꝙ aqua subtilior est, citior ad putredinẽ apta, quàm crassa, maxime si sit cõposita ex diuersis substãtiis, sicut est aqua pluuialis, secundũ Hippo. tñ in corpore humano nõ habet tantũ spatiũ sub forma aquę, ꝙ putrescat, vnde remanet beneficiũ subtilitatis. Hanc responsionem impugnat vir clarissimus Vgo Senensis, ex eo, quod Princeps dixit supra aquę pluuiali cito aduenit putredo, licet sit aqua melior, propterea quod est valde subtilis, & quia in ipsa corrũpens terreus, & aereus cito operatur, & fit eius putredo causa computrescendi humores, & impedit pectus, & vocem. Et idcirco dicit Vgo Princeps loquitur de putredine accidente in ea aqua pluuiali quando est intra corpus. Hallucinantur ergo hi, qui dicunt, ꝙ aqua pluuialis cum fuerit aeri exposita putrefit, non autem in corpore humano existens.

Thadeus in eodem loco, hanc forte Principis sententiam internoscens, aliam, & veriorem responsionem dat, videlicet, ꝙ licet aqua pluuiæ sit bona in esse aquæ secundum se, non tamen sequitur, ꝙ sit bona in corpore humano, nam in humano corpore dicitur bona aqua bonitate conuersionis, id est, quæ ad bonum, non ad malum conuertitur.

Hanc solutionem Gentilis Fulginas optimus Philosophus, & Medicus videtur laudare. Dixit enim, ꝙ aqua pluuialis, licet ratione subtilitatis sit laudabilis, est tamen illaudabilis ratione multorum, vnde dixit Gentilis in regimine sanitatis hominis puto aliam esse meliorem, videlicet, fontanam, & ideo ipsam elegit Gal. in primo de regimine sanitatis propter tria nocumenta, quæ habet in se aqua pluuialis, magis quàm alia. Primum est, quia ob eius multam subtilitatem est nata putrescere, ad cuius putrefactionem sequitur humorum computrefactio. Item ob eandem subtilitatem nata est spiritualia cito attingere, & eius frigiditate inde nocere. Tertio quia sua eadem subtilitate concoctionem in stomacho impedit, & cibum incoctum ad vrinæ meatus penetrare facit, & idcirco alui duritiem facit, & excretiones retinet, vt dixit Aetius, quibus bis, aut semel, saltē in die indigemus. Vgo Senensis vir apprime doctus expositione aphorismi. xxvii. quintæ particulæ, multis enucleatis, dixit. Ideo dico, ꝙ aquæ fontium cum aliis suis laudibus sunt meliores aquis pluuialibus.

Antonius Musa Ferrariensis homo multæ vigiliæ in amplissima sua expositione in aphorismos, in cōmento aphorismo. xxvii. hanc difficultatem sub hac

verborum serie enodauit, & explicuit, Sed an aqua pluuialis omnium optima sit, vt Hippocrates sentire videtur, & post ipsum Paulus, Vitruuius, Aetius, & alii multi, ea lege, quę in nostro syruporum examine de aqua scripta relinquimus. Nec Plinium omittes libro. xxxi. capite Tertio, vbi contra illos inuehitur, qui hoc dicunt. Immo adeo odio illi est hęc opinio, ut in hæc uerba proruperit, horum sententiam refellere, interest uitæ, propterea totis uiribus probare conatur aquam pluuiæ uitæ potius obesse, quàm prodesse. Nos uero in syruporum examine hæc statuimus. In ordine elementi pluuialem aquam cæteris præstare, sed respectu humanæ uitæ non est perfectior. Nam ad vitæ nostræ perfectionem elementorum puritas non exigitur, sed re mixta indigemus, unde Paulus in ordine elementari pluuialem aquam omnium perfectissimam facit.

Nouissime etiam Leonardus Fuchsius de literis emeritus dixit in annotationibus, in quarto de Tuēda ualetudine. Præterea habet etiam alia incommoda aqua pluuialis, ut pote cum sit tenuissima, & facillime transmutetur, omnibus biliosis affectibus inutilis est, eo ꝙ facile in bilem transit. Sunt & alia eius uitia, quæ commemorat Aetius. Quare nonnulli, ut

Plinius, eius aquæ vſum in totum damnarunt, & omnino illi fontanam prætulerunt. Sed habet aqua pluuialis, quæ Hippocrate in fine libri de capitis vulneribus authore, leuiſſima, tenuiſſima, limpidiſſima, dulciſſimaq; eſt, ſuas etiam vtilitates in his affectibus, quæ adſtrictione indigent, hæc enim excretiones, Aetio teſte, detinet. Proinde vtraq; aqua, tum fontana, tum pluuia in ſuo genere vtilis, & inutilis eſt. In vſu tamen eligenda ſemper, quę inter has optima eſt. eſt Hæc Fuchſius.

Petrus Hiſpanus, quondam Papa Ioannes. xxii. qui multa in medicina doctiſſime, tum problemata, tum librum, quem Theſaurum pauperum nuncupant, & & commentaria in dietas, tum vniuerſales, tum particulares, Iſaach ſcripſit, in ſuo commẽtario de aqua dixit. Dicendum quod de Vere loquendum eſt dupliciter, aut reſpectu ſui, & hoc modo ſanius eſt, quã aliquod tempus, aut per comparationem ad corpora, & hoc dupliciter, aut illud corpus eſt mundum omni carens occaſione morbi, & ſic eſt ſaniſſimum, aut comparatur ad corpus habens in ſe cauſam ęgritudinis, & ſic non eſt ſaniſſimum, quoniam Ver habet ægritudinem de potentia ad actum ducere, mouet enim humores ab interioribus ad exteriora, vn-

de morborum est generatiuuum per accidens. Sic de aqua pluuiali est loquendum secundum se; & hoc modo est melior cæteris, quoniam est calida, & humida, subtilis, clara, dulcis, & rara, & sic laudabilis à parte complexionis, & compositionis. Si autem de ea loquamur in comparatione ad corpus, hoc est dupliciter, aut ad corpus mundum carens omni occasione morbi, & sic est sanissima, aut ad corpus immundum habens humores paratos putredini, & sic est illaudabilis, quoniam cito putrefit, & in humorũ putridorum naturam, vel putrefieri paratorum cito conuertitur, & nullum tale competit, vbi timetur putrefactio. Sed an pluuialis fon tanæ sit præponenda non syllogizauit Ioannes.

Aliam similitudinem adduco. Dicitur enim à sapiẽtibus aerem Autumni purissimum, & subtilissimum esse, a Sole Aestatis vaporibus exsicatis, tamen, quia ob sui subtilitatem, & puritatem facile patitur, quod virtuti, & puritati suę, & nõ vitio, & impuritati tribuẽdum est, morbosum facit Hippo. Idẽtidem de aqua pluuiali, licet sit tenuissima, non tamen in corpore humano optima, quia facile alterabilis in eo, ut plurimum impuris existentibus corporibus, in quibus sicut lac, & vitella ouorum, in se sanissima, in co

pore tamen hominum facile putrescibilia, sic & de pluuiatili aqua, quæ continue agimus, dicendum est,& ab ea magis abstinendũ,& cũ cautela bibenda. Sed quod difficultatem ingerit, est, ꝙ Paulus Aegi neta in præfatione operis dixit. Nam cum plures egregios authores,magisq; Oribasium ipsum, unde primum librum,quo totam de tuenda ualitudine ra tionem comprehendi, sum mutuatus. &c. tamen uidetur ipse Paulus Oribasio contradicere, cum di xit, Aquam pluuiæ facile omnium esse putrescibi lem: Item & cum dixit. Quæ igitur aqua optime notas habet,si prompte etiam putrescat ea censebitur saluberrima,aliter autem Oribasius, cuius series(ne uidear falsum impingere)hæc est in libro primo ad Eunapium dixit.Leuiorem igitur Hippocrates plu uialem dixit esse aquam,& dulciorem,& lucidiorem & propter quod Soli uicinior fuit,leuior, & tenuior effecta est propter quod & imputribilis est. Pro qua re ab eo leuior est iudicata, unde ab aliquibus re prehenditur, quare irritent tusses, graues faciant uoces. Pro hoc autem pluuialis aqua æstiua leuior est iudicata,quia æstum non facit. Nam in hyeme ubi cristallus,& niues abundant,grauantes sunt. Ex congelatione enim aquarum illud in his,quod subti

le est, conspissatur, bene utiq; est. Et in Tertio libro, & capite de Aquis, ex Herodoto dixit. Leuem quippe Hippocrates dixit aquam pluuialem, quæ est dulcis, lucida, & subtilis, quia adducitur aqua in aere, non ex dulcibus solis aquis, sed ex mari, adducitur in aerē, propter quod aliæ cito putrefiunt, aliæ non facile putrescunt. Non ergo existimet aliquis malam aquam esse, quæ cito putrescit, quod enim cito mutatur, magis uirtutis est, quàm malitię. At quæ cum habeat conditiones bonarum aquarum utiq; imputribilis sit, optima existimanda est. Si qua ergo cito putrescit aqua, bona existimanda est ipsa mutatione. Nam quędā aquæ faciunt uitia in gutture, & tusses mouent, & raucitatem, & grauedinem, & gutturosos faciunt. Pluuiales igitur aquæ in æstate ex tonitruis, & tempestatibus utiles sunt. Hæc Oribasius. Nos uero, quæ ab Hippocrate & Galeno Epidimiorum sexto dicta sunt, summentes dicemus. Aquę pluuiæ duplicem esse differentiam, uidelicet, alia temporaria est, ex æthere excreta, & tonitrualis, Alia uero procellosa, quam Hippocrates malam dixit esse. Temporaria uero, quæ æstate fit, duplex esse potest, una, quæ fit ex uaporibus eleuatis, alia, quæ ex aere, vt quādo per antisparistasim in æstate aere existente

exquisite puro caliditate intensissima aerem mediæ regionis circundante, statim aer cogitur, & allisis inter sese nubibus, vel ignea exhalatione nubes exscindente aqua deorsum fluit. An vero huiusmodi aqua ab Hippocrate laudetur, incertum est, vt responsionibus magis patebit. Et si bonã esse dixisset Hippocrates, ambigit Galenus an ad vsum humanum, an ad medicamenta dixerit esse bonam. Et his ego addo, ꝙ licet bonam ad vsum humanum dixisset Hippocrates, non tamen eam precedere Fontanam aquam dixit. Eodem pariter modo dico, ꝙ licet Oribasius pluuiales aquas, quæ æstate ex tonitruis, & tempestatibus fiunt esse vtiles dixerit, non tamen dixit ad potum, vel ad medicamenta. Et si ad potum dixisset, non tamen eas præcedere aquas fontium dixisset. De fontanis tamen tam Galenus, quàm Oribasius ad potum vtiles esse dixerunt.

Verum dum hæc nostra disputatio iam imprimeretur, occurrit mihi forte Augustinus Riccus Lucensis, vir (vt uno uerbo dicam) natus ad publicam utilitatem, cui in hac re prǽsertim, sicut in pluribus aliis Medicorum schola plurimum debet. Atq; cum ex eo sciscitarer quid in causa esse censeret, ꝙ Paulus Aegineta, qui omnia se esse mutuatum ab Oribasio

fatetur,

fatetur, asserat, aquam pluuialem maxime putrescibilem esse, in libro autem primo Eupostrion Oribasii ad Eunapium, legatur. Propter quod, & imputribilis est. Qui respondit, nihil mirum esse particulam eam non consentire Pauli sententiæ, cum etiam Oribasii ipsius græcis verbis ex aduerso repugnet, sicuti pleraq; quæ in eo capite sunt. Nam legi eo in loco in Græcis codicibus εὐσηπτότατον, hoc est, maxime putrescibilis. Atq; eadem etiam verba ipse apud Oribasium alibi citauit in Quarto libro compendii ad Eustathium filium, vbi sic ait διὸ καὶ εὐσηπτότατόν ἐστι hoc est. Propterea & facillime putrescit. Ex eis autem nouem compendii libris, primi tantummodo fragmentum latinum habemus, atq; id mirum immodum, vt res ipsa ostendit, deprauatum. Addidit præterea ille, hanc materiam de aquis copiosissime, & pluribus capitibus pertractatam in aliis Oribasii libris, quos ad Iulianum Imperatorem scripsit, vbi idem etiam quod aliis in locis asseruit, causam etiam adiiciens, cur facile putrescat. Quæ quidem ipsa capita in tui gratiam latinitati breui donaturum pollicitus est, quod quidem summæ erit hominibus vtilitati. Cum itaq; res ita se habeat, satis patere existimo, horum veterum medicorum sententias optime inter

ſe conſentire, qua in re ſupra ob codices deprauatos plura ex rei coniectura diſputauimus.

Quod vero ad id attinet, quod dicitur, Aquam pluuialem omnium facile putreſcibilem eſſe, dicam quid ſentiam, omiſſa curioſitate conciliandi Paulum cum Oribaſio, videlicet, Aqua pluuialis, quæ procelloſa eſt, mala eſt, & facile putreſcit, tanquàm ex diuerſis qualitatibus conflata. Similiter illa quæ æſtate fit ex vaporibus diuerſis generata, putreſcibilis eſt. Et hæ duæ ſpecies aquarum pluuiatilium non ſunt laudabiles, quia computreſcere faciunt humores in corpore exiſtentes. Ea vero aqua pluuialis, quæ æſtate fit per antipariſtaſim, aere coacto, hęc non eſt putreſcibilis, tanq̃ ex diuerſis qualitatibus conflata. Sed cum tenuiſſima ſit, facile à quolibet patitur, & mutatur. Et licet hæc in eſſe elementi ſit puriſſima, & bona, tamen quia aer ille factus eſt tenuiſſimus ex calida exhalatione in nubibus exiſtente, & inter ſe attritis, alliſisq; nubibus adeo elaboratus ſit, vt ad tenuiſſimam ſubſtantiam facile à qualibet re alterabilem deuenerit. Non ſic vapor eleuatus ab aquea humiditate, vel aer in ipſas porroſitates terræ ſubingrediens taliter elaboratus eſt, nam licet purus, & nõ ex diuerſis conflatus ſubſtantiis, tamen tenuiſſimus nõ

eſt, quapropter fontana aqua non facile alteratur, & Idcirco à ſanis, & ab ægrotis ſine periculo bibi poteſt. Ex his poſſet quis Paulum cum Oribaſio cócordare diuerſimode accepto vocabulo putrefactionis, vel quia tenuitate ſit facile alterabile, vel quia ex diuerſis qualitatibus cóſtata. Cum tamen hæc ſint extra noſtrã intentionẽ, dimitimus aliis eorũ cócilium. Nolumus tamen cum aqua pluuiali certamen perpetuum habere, ſed cum Galeno dicimus. Potiſſimum fontana, ſi côpia adeſt, ſi non, reliquarum, & ſic poſt fontium aquam, Ciſterninam admittimus in vſu hominum, ſicut & Venetiis, & Ianuæ, non exiſtente copia fontis, aut puteorũ, ciſterninis aquis vtuntur, nullo etiam apparente eorum nocumento, forte ob conſuetudinem. Et præter hoc, quod humano vſui deſeruit, & maxime ad medicamenta cóponéda, Ariſtoteles octauo de hiſtoria animalium, cap. xviii, vtilitatem eius manifeſtauit, dicens. Piſcium genus maxima ex parte anni pluuiis bene uiuit. Ita. n. non modo plus cibi nanciſcitur, uerũ etiam omnino pluuio humore iuuatur, ut ea, quæ terra gignuntur. Olera enim quamuis rigentur, tamen non tantum proficiunt, quãtum hymbre, quod inde arundinibus etiã lacu prognatis, euenit. Nihil enim fere accreſcũt, niſi

aquæ pluuiæ accedant. Causam vero huius adducunt quidam, quia plage vi terram deducat pluuia, meatusq; sibi ad radices subeundas paret. Contra quos, quia stirpes in stagnis exortæ, & vluæ, & Iunci augumentum non capiunt, nec fructificant, nisi pluuias aquas suo tempore admiserint. Idcirco alii id accidere dicunt, quia recens, & noua videtur aqua pluuia. Stagnea autẽ vetus, & olim data, computrescẽscit, Sed hoc probabilius est, quàm verum. Nam fontani, fluuiatilesq; fluxus recentes sunt, & noui. In eundem enim fluuium non vtiq; ingredereris. Alia quippe subinde influit. Idcirco alii, quia pluuia leuior est, quia ex aere a qua descendit, proinde flatu remixta aerisq; leuitate referta demigrat momento, insinuaturq; in stirpes. Cuius aquæ pluuiæ bonitati astipulari Ranæ videntur, dum vocem præ letitia exhilarant, pluuiæ suauitatem expectantes.

Cæterum cum duplex sit sapientis opus, uidelicet non mentiri, & iam nos conclusionem veram testibus, & rationibus vallatam posuerimus. Reliquum est, vt ad secundam sapientis opus accedamus, quod est mentientem posse manifestare, quod facile a nobis fiet, si obiectis authoritatibus, & rationibus respondebimus, eo tamen ordine, & serie, qua supra

nobis obiecta sunt. In primis dicentes.

Concedimus Hippocratem dicere, aquas pluuiales esse leuissimas, dulcissimas, tenuissimas, & limpidissimas, tamen Galenus in simili respondet, ꝙ Hippocrates non asserit, an hæc aqua sit ad potum humanum optima, sed incertum adhuc est, an si bona sit, talis sit ad potum humanum, an ad medicamenta. Nam Scribonius, & alii quàm plurimi ad oculorũ medicamenta hac vtuntur, similiter in fluxu ventris quia igitur incerta est Hippocratis sententia non licet inferre, ergo optima ad potum humanum, & si ad potum, non tamen Hippocrates asserit illam esse fontana aqua meliorem. Similem enim responsionem dat Galenus in simili Hippocratis sententia, ut statim patebit.

Respondet etiam Paulus huic cauillo, ꝙ licet Hippocrates dicat, aquam pluuię esse leuissimam, ꝙ istud signum solum non sufficit. Sed si hoc cum aliis ab eo commemoratis accedat, commendat. Eodem modo & nos dicimus, ꝙ licet Hippocrates commendauerit aquam pluuiæ in sui substantia, ꝙ sit limpidissima, subtilissima, dulcissima, tenuissima, tamen hæc sola commendatio non sufficit, nisi cum signis fontanæ aquæ accedat, vt scilicet, laudem, & nobilitatem

etiam habeat à loco originis,& idcirco modus argumentandi ualidus sit talis, hæc aqua est fontana, & est leuissima dulcissima.&c.ergo optima.

Responderet etiam Princeps Abolai, ꝙ tanta tenuitas aquæ pluuialis non conducit ad sanitatem tuendam. Dixit enim Tertio canonis fen. xvi. tractatu primo,& cap.Quarto, De cura fluxus uentris absolute. Et oportet,ut sit aqua eorum, scilicet, patientiũ fluxum,aqua pluuiæ,in ipsa enim est stipticitas. Et existimo, ꝙ multitudo iuuamenti est propter uelocitatem suę penetrationis ad hepar, & uelocitatẽ resolutionis eius,quare non relinquit in chilo humiditatem. Hæc Princeps. Et idcirco dixit Gentilis,ꝙ ex eo quod nos indigemus beneficio uentris semel, aut bis in die,aqua pluuiæ ad sanitatem non conducit. Et ideo Paulus Aegineta dicebat non ualere hanc consequentiam aqua pluuiæ est leuissima,ergo optima,nisi addatur,est leuissima,& fontana.

Gentilis etiam cum aliis plerisque iunioribus negãt illam consequentiam,hæc aqua pluuialis est optima, ergo administrata in corpore humano est melior aliis. Hæc autem dicta sunt prius.

Quod uero nobis obiectus est Galenus in libello de bonitate aquæ, audacter libellum illum assero esse

ſpurium, & inter ſpurios nouiſſime collocatum, plane etiam patet Hippocratem, & Galenum his, quæ de aqua pluuię in libello dicuntur, manifeſte in faciem eorum reluctari, quod facile demonſtro.
Hippocrates ſexto Epidimiorum, particula quarta, & aphoriſmo. xvii. hæc ſcripſit. Aquarum arte carẽtium, quę ab æthere eſt excreta, aut cum tonitru temporaria, procelloſa vero mala. Inquit Galenus in commento. Duas prodit nobis Hippocrates pluuialis aquę differentias. Alteram quidem, quam aperte vituperat, malam eſſe dicens, uidelicet, procelloſam, alteram uero deinceps nõ conſtat, an reprehenſione ſolam carere dixerit. Incertumq; eſt utrum ipſam ad potum, an ad medicinales uſus pręparari iuſſerit. Nam oculorum medicamẽtis componendis huiuſmodi aquam adhibemus, & ex ipſa aqueũ medicamentum conficimus. Temporariam aquam pluuiatilem uocat, quæ æſtate media per hymbres effunditur, tempus enim hoc, & hanc anni partem Gręci potiſſimum tempus appellant. Veruntamen & Autumno, & Hyemi, & Veri temporis appellationem accommodant. Sed per excellentiam interdum eam anni partem tempus nominant, in qua fructus temporarios uocatos matureſcere accidit. Veritatem

huius sententiæ confirmat verbum Hippocratis, cũ dixit, Ab æthere excreta. Nam veteres Græci cœlum ambiens exquisite purum, æthera, nubilosum vero, & nubibus opacum, aerem vocare consueuerunt. Sed ambigitur, inquit Galenus, & incertum est cur procellosam aquam repudiat, æthereã vero, & cũ tonitru effusam non repudiat. Dicamus itaq; quod cũ æstate aqua eius temporis calore attenuata in halitus inuisibiles dissipata fuerit, clam nobis in aerem supra terram transuolauerit, & deinde propter aliquam ad frigidum mutationem, ac ventis inter se flantibus, densatoq; aere, prætenuatos halitus iterum crassescere, & in aquam sensilem euadere contigerit, tunc hymbrem illum temporarium esse dicimus extenuata aqua, ac prius ab aeris calore elaborata, atq; meliorem ipsam esse nymbosis vt pote, neq; confectis, neq; vlla mutatione elaboratis. Aquam autem tonitrualem laudat, quod tonitrua altero duorum modorum fieri, notum sit, aut ob ignem interceptum, qui erumpens circumplexam nubem veluti dilacerat, quo etiam tempore fulmina decidunt, aut inter sese allisis, attritisq; nubibus neutrum in nymbosa aqua existit. Si quidem in huiusmodi statu aer conspissatus est, vna continua atraq; nube ipsum totum occupante

pante. Quapropter non immerito in hoc aeris terrã ambientis ſtatu nunquam tonat. Temporaria igitur aqua ſumme munda, ac tenuis eſt, quia elaborata, & eius temporis calore in halitus inuiſibiles diſſipata fuit, poſt hanc tonitrualis ob nubium concurſum, conflictumq; tenuis facta eſt, in nymboſa neutrum eſt, & quantum tonitrualis à temporaria vincitur, tantum nymbalem ſuperat. Nymbalem igitur & procelloſam malam dixit Hippocrates, temporarię vero, & tonitrualis laudem, ſiue ad humanum potum, ſiue ad medicamenta, ſubticuit. &c. Quo igitur fundamento volunt hi Hippocratem laudare aquam pluuiæ, cum eius taceat laudem. Nullibi enim laudat eam, ſiue ad potum humanum, ſiue ad medicamenta, & quomodo ex eius verbis primatum dabunt aquæ pluuiæ. Et quomodo elata fronte adducunt libellum de bonitate aquæ aſſerentes librum illum eſſe Galeni? Cum in eo libello ſcribantur hæc de aquis pluuialibus. Vernales igitur, & Hyemales temporariæ ſunt, & optimæ, quas ego maxime laudo. Hic autem Galenus per temporariam aquam intelligit, quæ æſtate pluit, non hyeme, non vere, & ſi qua laudanda eſt, non Hyemalis, non Vernalis, ſed quæ æſtate pluit, eſt laudanda, cum tonitru, & ab

æthere excreta, ideſt, ab aere exquiſite puro. Nonne Galenus in commento illius aphoriſmi dixit. Porro temporariam intelligere ſatius fuerit, non vernam, ut nonnulli ſtulte accipiunt. Nullus enim per excellentiam tempus anni Ver nuncupauit. Sed quemadmodum & alias anni partes abſolute tempus, neq; tunc temporis effuſus hymber aliqua eximia virtute præditus eſſe cognoſcitur. Sed multo antiquius fuerit putare ipſum, temporariam aquam dicere, quam eo ſanè tempore pluerit, quod anni tẽpus Græci nominant. Hæc Galenus. Quas igitur libellus ille pluuiales aquas laudat, hic Hippocrates, & Galenus vituperant.

Et Commentator Alexandrinus idem eo loco dixit, videlicet. Quidam autem dicunt, ꝙ bonam aquã dicit, quæ in temperato tempore fit, ſcilicet, in Vere, non autem eſt hoc verum. Si enim omnino de tempore diceret, bonum diceret, quod fieret in æſtate, principaliter autem æſtas tempus vocatur, quoniam quæ fiunt in aliis temporibus æſtas perficit verbi gratia. In Autumno ſemina ponuntur ſub terra, In Hyeme mouentur virtutes generatiuæ. In Vere oriuntur, & in æſtate perficiuntur, & propter hoc principaliter optimam aquam dicit, quæ fit quan-

do æstas est. Hæc Commentator.

Ad ea vero quæ nobis obiiciuntur ex Paulo facile respondemus, cum nobis suffragetur. Nam postquã dixit de malitia, & bonitate aquæ cognoscendæ per experientiam subintulit. Qui vero notas quoque eam vult cognoscere, his, quæ dicentur, attendat, & sic concludit, fontanę aquę primatum suis conditionibus munitam, quod vero Paulus postea dicit. Nõ nulli ex pondere aquam examinant, leuem præstare credentes optime dictum est, hanc tamen notam solam Paulus non admittit, & dixit. Hoc igitur signũ leuitatis, si aliis à me commemoratis accedat, cõmendatur. Verum sola hęc bonę aquę nota non sufficit, quàñ imbrium aqua, authore Hippo. leuissima sit &c. Non sequitur igitur secundum Paulum, nec tenet huiusmodi argumentandi modus, Hippocrates asserit aquam pluuię esse leuissimam, ergo optimam. Sed sic licet arguere, hęc aqua est leuissima, & ad oriẽtem vergit in sui origine, & trãsit per purã terram, & huiusmodi quæ posuit Paulus, & àb eo fuerunt commemorata, ergo optima, quæ signa in aqua pluuiali minime sunt, ergò nec ipsa optima. Et prosequendo Paulus ponit ponit ex sententia Hippocratis causam talis leuitatis dicens. Quia Sol leuissimum

& tenuissimum attrahit id non ex alia aqua solum, verum ex mari quoque, & corporibus, quapropter etiam omnium promptissime computrescit, ceu ex diuersis qualitatibus constata. Et quia ex hac promptitudine ad putredinem posset quis eam maxime vituperare, & damnare, huic occurrens dixit. Nemo autem aquam putrefactioni oportunam deterrimam esse existimet, nam mutationis facilitas virtuti potius, quàm vitio tribuitur. Et concludens Paulus dixit. Quæ igitur aqua optime notas habet, si promte etiam putrescat, ea censebitur saluberrima, & si mutari cum incipit occasionem raucedinis, tussiculæ, & grauitatis vocis præbeat. Ex his à Paulo dictis non potest quis inferre aquam pluuiæ notas habere optimæ aquæ cum illa indicia, nisi ad ea accedant, quæ erant signa fontanæ aquæ non cõmendẽtur à Paulo. Et ex his etiam quę dicit Paulus quando dixit Imbrium aqua æstiua, quę tonitru decidit, pręstantior est, quàm quę nymbis dimissa est patere cuilibet potest, quantum libellus de bonitate aquę à Galeno & veritate distet, qui Vernales, & Hyemales pluuiales aquas optimas esse asserit. Male igitur intellectus Paulus nobis obiectus est.

Quod vero ex Aetio nobis opponit, facile diluitur,

licet enim aquarum, quæ bibuntur pluuialis leuissima sit, non tamen licet inferre, ergo optima. Cum, vt sæpe dictum sit, & id repetere non sit ab re. Ex duobus aqua recipit nobilitatem, vt testatus est Isaach, & idem velle videntur Hippocrates, & Galenus, cum optimę aquę indicia ponunt, videlicet, nobilitatem in sui substantia, quod sit limpidissima, iucundissima. &c. & ex origine sui cursus, quod versus orientem vergat. &c. quæ in pluuiali aqua minime inueniuntur, sed in fontana omnia manifestantur. Sed si Aetius recte consideretur, hæc aqua pluuia multa habet vitia, pręsertim quod excretiones impedit, cum adstringens sit, & alui duritiem facit, cuius contrario semel, & bis in die indigemus.

Quæ vero ex Celso adducta sunt, cum eadem sint, eodem diluuntur modo. Cum enim nihil aliud dicat, nisi quod aqua pluuię sit leuissima, ex hoc inferri non potest, nec debet, quod sit optima, eo etiam maxime quia si pares in pondere sint, non tamen pariter optime, vt Celsus dicit. Sed ea, quæ celerius calefit, & frigefit, & ea in qua legumina celerius percoquuntur, optima censenda erit, & experimento conuincitur, in fontana, quàm in pluuiali celerius legumina concoqui.

His autem quæ ex Isaach obiiciuntur, sic satisfacien dum est. In dietis particularibus cap. de aqua dixit Isaach. Laudabilis aqua duo in se continet, vnum est ex sui essentia, vt claritas, & humiditas, nullum ha bens saporem, nec colorem, &c. Aliud est origo sui cursus, nam necesse est, vt sit contra orientem aliquan tulum Septentrionali pertinens plagæ, ut septentrio-nalis, & orientalis ventus eam perflet. &c. Sed pluuia-lis aqua solum primam bonitatem habet, fontana autem optima habet utranq;. Cum uero dixit, quod omnibus aquis illa est electior, quę uicine ab aeris summitate cecidit, munda tamen si fuerit ab omni putredine. Si ipse intelligit, q̄ sit electior inter aquas pluuiales concedimus, ut supra. Si uero absolute omnibus aliis aquis, negamus, si sibi constare uult, q̄ laudabilis aqua duo in se contineat. Et quomodo est electior si, ut dicit, aqua in Cisterna morans susci-pit qualitates malas à tumositate terræ. Si uero sit electior, quia, ut inquit, minus habet humiditatis, & quiddam stipticitatis, unde non nocet stomaco, sed potius eum confortat, dico, q̄ consideratio talis de ea est, ut medicamentosa, sub cuius ratione aqua po-tabilis non consideratur. Id etiam quod ab eo dici-tur quinto theoricę cap. xcix. in quo loco citat Hip-

pocratem ea responsione, quam supra diximus, soluitur nodus. Qud autem Rasius dixit, fuit ab eo acceptum, & extractum ex libro de bonitate aquæ, & a titulo deceptus. Et siquis etiam hos aliter intelligat, perperam sentiet. Et quæstio non petit opinionem, nisi Hippocratis, & Galeni.

Vltimæ rationi adductę respondendo, nobis etiam liceat ad eos argumentum reflectere, & ex Galeno, Oribasio, & Paulo, sic syllogizare, Omnis aqua, quæ celeriter hippocundria pertransiuerit, est optima, & nulla melior quęrenda est. Sed fontana cuius fons ad orientem est prorumpens. &c. ergo optima Sumptum est aduersarii. Adsumptum ponunt, Galenus, Oribasius, & Paulus.

Vt autem manifestum sit nos non fugere argumentum eorum, neq; solutionem denegare, petendo ab eis nostri argumenti explicationem exponemus literam Gal. qua dilucidata, apparebit solutio argumẽtationis eorum, & quod nihil contra nos habent, & nostra opinio uera, & constans, subsistet inquit Gal. primo de tuẽda ualetudine. at frigide potione omni no prohibendos eos, scilicet, pueros esse non censeo quod tamen aliqui faciunt. Verum a cibo, ac plerũq; per calores cum ipsis cordi erit, uti non displicet.

Et declarans,quę est illa aqua, qua puerum vti non displicet.et inquit.Potissimum vero si copia adsit fontana recenti. Vbi uerum illud potissimum, etiam si ad plura comparetur,significat optimum, & pręcipuum. Galenus ergo fontanam aquam cæteras omnes in bonitate,& ad humanum vsum, & potum pręstare manifeste asserit, eo, quod dixerit,potissimum.Quia tamen non omnis fontis aqua aliis pręstat. Ideo dixit,fontanam potissimum dico,non tamen omnem,sed cui nulla qualitas vitiosa aliunde sit contracta,vt ea,uidelicet est,quę ad haustrum tendit,& prorumpit.Et sequitur, quod si non sit copia fontanæ aque,qualis dicta est,puer utatur reliquis, scilicet,aquis a fontana,vt fluuiali,puteali,cisternina, & huiusmodi.Et quia pręter fontanas aquas multæ sunt,quibus puer uti non debet,cauet Galenus, quæ sint illę dicens.Cauendę uero sunt, quę ex stagnis hauriuntur,& quę turbidę, & quę male olentes, & quæ salsæ deniq; in quibus qulitas aliqua gustu deprehenditur. Et cur has non probet, causam affert,fingendo animo suo optimam aquam,ad quã ceteras alias referat,& dicit,quando quę optima est, quę scilicet,est fontana, ut supra diximus, penitus non gustui modo,uerum etiam olfactui omnis qualitatis

litatis expers videbitur. Ita, vt aquam illam probet Galenus (si fons non adest) quæ penitus non gustui modo, verum etiam olfactui sit omnis qualitatis expers, & alias etiam conditiones bonæ aquæ ponit quod, scilicet potui sit iucunda, & plane pura, quod si cum istis conditionibus alia addatur, quod præcordia celeriter transeat, nihil est inde, quod magis idoneam requiras, quoniam scilicet talis probata est, tum gustu, tum olfactu, tum visu. Hęc autem vltima conditio necessaria est, quia dixit Gale. Siqua est, quæ pura sit, & limpida, nec potui insuauis, nihilo secius tamen circa præcordia hæret, hæc vitio non caret, sed semiuitiosa est, atq; ab ea abstinendum censet Gal. cum prorsus est frigida, calida vero eum non terret. Conclusit itaq; Gal. q̃ si fons non adest, & talem aquam diuersam à fonte inuenias, qualem diximus, nõ quęras meliorẽ, quia aqua, quę gustu, olfactu, visuq; probañ, & cito pręcordia trãseat, melior inueniri non potest (si fons non adest) & licet melior inueniri non possit vbi fons non est, tamen ipsa non est optima aquarum, quia principatus bonitatis aquæ soli fontanæ aquæ tribuitur a Gal. cum dicit potissimum. Itaq; si fons non adest, & Cisternina aqua habeat illas conditiones, nulla alia melior est

eligenda,non tamen ipsa est optima, quia quod per superabundantiam dicitur,vni soli cōuenit. Et quia Galenus intendit nobis assignare optimam aquam absolute duobus instrumentis,videlicet, experimento,& ratione. Nam hæc duo apud omnes homines fidem faciunt de his,quæ sunt inuenta,siquidem ratio non leue momentum obtinet ad experientiam, vel ornandā,vel corrūpendam.Ideo dixit Ga.Ac tutissimum quidem sit experientia ipsa de huiusmodi aqua iudicium fieri,tutissimum dico, si experimentum fuerit ratione comprobatum.Sed quia experimentum fallax est, & qui solo experimento credit,quantum erret, Gale. legat. iii. Methodi Item quæ per experimentum cognoscuntur,longo vsu id haberi necesse est.Idcirco in litera subiungitur, ꝙ si quis est,qui ex notis per scientiā,& cognitionē vim eius pręnosce malit,cuius fons è petra scaturiens cōtra Septemtriones fluit, Solemq; auersum habet hāc ęgre concoctum iri tardiq; transitus esse putandum est. Eadem nimirū calefiet,frigefietq; tarde. Contra cuius ad Orientem Solem fons erumpit quæq; per meatum aliquem mundum,aut puram colatur terrā eademq; calefit,ac refrigeratur ocissime, hanc omni ætati vtilissimam esse existimandum est. Neq; enim

ſicuti vino,eſcis,exercitatione,vigiliis,ſomno ,ac ve/
nere,aliis alias pro ratione ętatis expedit.Ita de aqua
quoq; ſtatuendum eſt.Sed quam nunc optimam in /
dicauimus , hac vti puero , iuueni , ſeni conducit.
Hæc Gale . His nunc ſic explicatis facilis eſt cauil/
li exploſio . Nam cum dicitur , Omnis aqua, quæ
celeriter hippocundria pertranſit eſt optima , hanc
negamus . Sed debet addi dicendo , Omnis aqua
fontana,quæ celeriter tranſit,eſt optima , & ſub hac
non licet ſumere hanc uidelicet.Sed aqua pluuiatilis
eſt aqua fontana,quæ celeriter.&c.Nec Galenus eam
ſic poſuit, ſed , ut ſupra dictum eſt , uidelicet, quod
Galenus duas poſuit propoſitiones, primam, uideli
cet , Aquam fontanæ eſſe optimam , cum in princi/
pio ſermonis dixit , Potiſſimum fontana. Et in fine
facto ſermone de Fontana dixit hanc eſſe utiliſſi/
mam omni ætati , & inde . Sed quam nunc opti /
mam indicauimus . &c . Aliam propoſitionem
poſuit Galenus , quod ſi non eſt copia Fontanæ
aquæ puer utatur reliquis , quæ ſi limpidæ , pu /
ræq; ſint , & reliquæ , & cito pertranſierit præcor/
dia , nulla melior quærenda eſt,Sed ſuple , Si copia
fontanę recẽtis eſſet,potiſſimum hac uti debet puer,
quia hæc abſolute eſt optima omnium aquarum.

Et quid verbis tot opus est,cum Gal. per scientiam, & notas non nisi de aqua fontium prębet noticiam de Cisterninis puteis,fluminibus nullam facit mentionem.

Sed non desino admirari hominum indiligentiam, qui aquam,quæ æstate pluit,quam solam commendat Hippo.non colligant,& magis demiror illorum Medicorum fatuitatem,qui hãc sic autumno,& hyeme collectã toto anno bibitã,sumopere cõmendat.

Concludendum itaq; puto, aquam fontanam suis conditionibus fulcitam,Cisterninam excellere, non solum consensu Græcorum Medicorum, maxime Hippo.& Ga.Sed Arabum,& Latinorum omnium, Et vt ad cumulum nil desit,addatur authoritas Vlpiani Iuriscõsulti,qui dixit.Cisterna aquam viuam non habet,nec causam perpetuam,& imbribus concipitur,ideo artem habet causam.Fons vero,& viuam aquam habet, & perpetuam causam, quia naturam. Et quantum natura artem viuum mortuum superant, tantum fontana aqua Cisterninam aquam superexcellit.


Iam tempus est receptui canere,& finem operi imponere, si tamen paucula de aqua Tyberis dixerimus in bonitate sua,inquit Aetius.In vniuersum aquarũ

bonarum indicia summuntur a gustu,& ab incolarũ experimentis.Optimam enim experientur celerrime calefieri, & frigefieri, facillimeq; carnes, & reliqua omnia coquere, & in ventre cibos conficere, quæ omnia in aqua Tyberis inuenies.

Vitruuius etiam censet,illas esse bonas,quæ ex profluente,& aperto fonte prodeunt. Vnde Socratis iudicium, & sententia erat, non agendum in his locis esse, in quibus nec iustitia, neq; profluens aqua perẽnis erat,& prosequens Vitruuius dixit, Homines illos considerandos esse,qui circa tales aquas inhabitant,quam membrorum compositionem habeant, & si sint corporibus valentibus, coloribus nitidis, cruribus non vitiosis,non lippis oculis, erunt tunc probatissimæ aquę,Quo circa si his indiciis aquam Tyberis perquires, eam optimam inuenies, longo etiam vsu,& experientia accedẽte.Qua etiã Romani vsi sunt,licet Romę,sicut multa alia eximia fuerunt, ita & Gal.teste,fontiũ elegantia,& multitudo admirabilis erat.Nulla fœtidam aquam,aut medicatam, aut turbidam,aut asperã,crudãq; effundente,licet aquæ, ex Tyburtinis montibus per lapideas fistulas in Romanam Ciuitatem deriuabãtur. Aliis quidem vitiis carentes,crudiusculæ tamen erant,vt neq; celeri-

ter calefierent, ut vrbani fontes, neq; refrigerarentur. neq; celeriter in ipsis, ut in fontanis aquis quæcunq; inieceris elixentur legumina, & olera, & carnes Hæc sunt amplissime domine, quæ pro disputatione proposita mihi satis esse uidentur, & orationi nostræ finem imponentes Deo gratias ago. Tu vero bene vale omnium literatorum Mecœnas, presidium, atq; confugium, & me, ut soles, diligas.

Ioannes Baptista Phaellus Bononien. Bononiæ impressit. Quinto nonas Iulias. M. D. XLIII.



Errorum recognitio.

Car.3.Medico s pro medicos, ⁊ eadem fac.multis pro multi.
Car.6.fac.non optimam pro nunc.
Car.7.vitio pro vitiori,⁊ est validue pro ⁊ validus, ⁊ fluctationes pro fluctuationes.
Car.8.fac.aud, ꝑ haud, ⁊ temporis ꝑ teporis, ⁊ temporis ꝑ teporis.
Car.9.fac.2.sed si mediocris ꝑ sed si sit, ⁊ Aalias ꝑ Alias, ⁊ ixit enim pro dixit enim.
Car.10.potinus pro protinus, ⁊ fac.2.frigiditatię pro frigiditatis.
Car.11.Policret statua pro Policreti, ⁊ affirmarem pro affirmaret, ⁊ Euacoporatio, pro euapora tio, ⁊ fac.2.quę sana pro sane, ⁊ fac.2. focio ri pro ficciori.
Car.12.ĥs inquam pro [illegible]quam.
Car.13.fac.conuenti pro commenti.
Car.14.in ignem pro in igneam.
Car.14.fac.2.ex tenuitus pro ex tenuis, ⁊ procuretur, pro procreetur, ⁊ extenuitus pro extenuatis.
Car.15.fac.2.aduentare ꝑ aduentaret.
Car.16.simul quod pro quo.
Car.17.⁊ cū medicinę ꝑ hoc, ꝙ medicinę.
Car.18.Quod si qua ra pura, ra superfluum.
Car.19.fac.2.eandem infert, pro cladem infert.
Car.20.Ad secundam pro secandam.
Car.22,fac.2.optima est, est vnum superabundat.
Car.24 fac.2.caliditate intentissima pro intensissima.
Car.32.fac.2.Ubi verum pro verbum, ⁊ qulitas pro qualitas.

52622 4+